



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XIII. Argumentum. Agitur de Immunitate loci Sacri, & de securitate Recorum ad Ecclesiam confugientium. Quo Jure sit introducta? Quæ loca gaudeant hab immunitate? Quæ delicta sint excepta? Quæ ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

de Penis Eccl. part. 2. Verb. Sacrilgium cap. 5. Vers. Adverte etiam, ubi responder similitudini Calicis, & Vestium. Et mea Erotemata cap. 31. num. 26. ubi alii Doctores.

AD SECUNDUM CASUM.

6 Queritur, an polluta Ecclesia, censeatur pollutum etiam Cimiterium? Et contra polluto Cimiterio, an sit polluta etiam Ecclesia? Omnes cum hac distinctione responderunt: vel Cimiterium est Ecclesie contiguum, vel est separatum. Primo Casu, si polluat Ecclesia pollutum censetur etiam Cimiterium? non autem è contra; quia polluto Cimiterio, non censetur polluta Ecclesia. Secundo Casu, per Ecclesie pollutionem, nequaquam polluitur Cimiterium ab ea divisum, & separatum. Ita ex Grassio p. 1. lib. 2. c. 48. num. 29. & ex Passerino de Pollut. Eccl. disp. 2. c. 47. Et est rex, in c. unico, De Consecr. Eccl. in 6. Erotemata mea c. 29. n. 42. & n. 43.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

7 Quibus diligentius debeant Parochi utri, ad effectum servandi cum munditia, & nitore suppellectilia Sacra? Dixere. 1. Quod Parochi completo Sacrificio, & Divinis Officiis non relinquant vestes sacras incomplexas super scamnis, sed statim bene plicatas reponant, vel reponere faciant in suis armariis. 2. Ad hunc effectum habeant armaria sufficientia, bene condita, cum suis clavibus, & bene claudantur. 3. Non admittantur quæcunque personæ ad Vestes sacras pertractandas, ferendas, & plicandas, ut potè rustici, sordidi, & minus idonei; sed qui sciant cum munditia, & nitore eas plicare. 4. Parochi eas frequenter invisant, & lavare faciant tam corporalia, & purificatoria, quam mappas Altarium; & refarcire curent; quæ vetustate deficiunt. 5. Reponant in suppellectili Sacra flores, & herbas odoriferas, nempe rosas siccas, & lavandulas, quibus & nitida, & bene olens reperiatur. 6. Bis singulis annis Altaria post Missam usque ad Vesperum spoliata relinquantur, ut fici aeris beneficium sentiant, & undequaque mudentur. 7. Mappæ, & pallia mutantur frequenter, & quotidie arundinea scopula leviter purgentur, prout etiam Icones & Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistie. 8. Teneatur in gradibus Altaris Arcula ad spiritum excipiendum, quæ purgetur octavo saltem quoque die. 9. Candelabra, Cruces, Thuribula, & reliqua suppellex argentea, quantum fieri potest, manibus nudis ne contrectetur; sed panno adhibito, & sæpe à pulvere extergantur leniter, adhibito molli, & lineo panno. 10. Calices, & patinæ semel in mense levi manu aqua tepida laventur, & semel in anno calida lixivina, & sapone molliori. 11. Candelabra, & Cruces ex aurichalcho quarto quoque mense diligenter abstergantur pulvere puniceo, vel ut vulgò dicitur cum gripola, seu uvis agrestibus, & panno asperiori fricentur; & soli siccanda exponantur. 12. Lampades vitreæ quintodecimo quoque die sursum, & aqua calida abstergantur. 13. Urceoli, & pelliculæ purgentur, & laventur quotidie. 14. Linea omnia, id est Albæ, Amictus, Cinguli, Superpellicea, Mappæ, Purificatoria, Corporalia, Linea ad manus abstergendas laventur separatim ab indumentis domesticis, & custodiantur in propriis armariis, & frequenter mutantur. 15. Præcipuis solemnitatibus omnia munda, & pulchriora adhibeantur. 16. Quotidie finitis Missis Mappæ Altarium contegantur stragulis suis,

17. Pluvialia, & alia, quæ raro adhibentur, quandoque in sereno Cælo explicata exponantur, ne fortè mucescant, vel male oleant. 18. Meminerint Parochi, & Rectores Ecclesiarum Sacram suppellectilem in Sacris Scripturis Sanctam vocari; ideo omni cura, & diligentia esse colendam, & ex consortio Corporis, & Sanguinis Domini sublimi Majestate esse venerandam; propterea severè puniendos à Christo Domino desides, & pigros in hac custodia. 19. Curent omnes adimplere Decreta Visitationis EMINENTISS. PRÆSULIS, quæ tangunt præsentem materiam. 20. Tandem legant, quæ scripta sunt de Nitore, & Munditia Sacre suppellectilis à Bart. Cavanio post Comment. in Rubric. Missalis par. 5. pag. 262. & ab Illustrissimo Episcopo Pompeo Sarnello Specchio del Clero Secolare tom. 1. pag. 13. & tom. 2. pag. 31. ubi & de Mysteriis ejusdem Sacre Suppellectilis, & de modis eam custodiendi latius pertractatur.

DECISIO DECIMATERTIA.

ARGUMENTUM.

Agitur de Immunitate loci Sacri, & de securitate Reorum ad Ecclesiam confugientium, Quo jure sit introducta. Quæ loca gaudeant hac immunitate; Quæ delicta sint excepta: Quæ pœnæ infligantur contra violantes illam: Casus duo de delinquentibus in Ecclesia, & an gaudeant ejus immunitate: Remedia pro temperantia Ecclesiasticorum in cibo, & potu.

SUMMARIUM.

1. Immunitas loci Sacri in quibus consistat.
2. Quo jure sit introducta, & n. 5.
3. Jus Divinum duplex positivum & naturale.
4. Exempla, & Historia antiquissima de Immunitate loci Sacri.
5. Papa an dispenset in Jure Divino naturali?
6. Loca quatuordecim, quæ gaudent Asili privilegio.
7. Delicta octo, quæ non gaudent immunitate Ecclesie.
8. Pœna contra violantes immunitatem loci Sacri.
9. Occidens hominem stans intra, vel extra Ecclesiam, an gaudeat immunitate loci Sacri?
10. Ira calore, qui facit homicidium in Ecclesia, an sit securus in illa?
11. Temperantia Ecclesiasticorum in cibo, & potu quibus mediis obtinenda.

Ad infra scripta Quæsitæ, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixerunt.

AD PRIMUM. Quid sit Immunitas concessa locis sacris, pro personis ad ea confugientibus? Omnes in hanc convenerunt responsionem; Quod sit Privilegium concessum Ecclesiis, & Locis sacris, ut Rei ad ea confugientes per vim extrahi non possint. cap. nullus, & cap. si quis 17. quæst. 4. cap. inter alia & cap. Ecclesia. De Immun. eccles. & Bulla GREGORII PAPÆ XIV. de anno 1591. Quæ est septima in Bullario, & legitur apud Pacem Jordanum tom. 2. lib. 11. tit. 3. num. 1. Et de ea Erotemata mea c. 32.

Ad Secundum. Quo jure sit introducta hæc Immunitas. Non pauci juxta opinionem Laymani lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 1. & Bonacina in primo Decal. Præcept. disputatione 3. quæst. 7. punct. 2. dixerunt, eam esse de jure humano. Cæterum Doctissimi Sacre Theologiæ, & Juris utriusque Doctores plurimi in hac Patavina Diocesi animarum curam gerent.

gerentes, & Confessariorum munus exercentes, constanter scripserunt, Immunitatem loci sacri esse introductam de Jure Divino. Ad quam Veritatem demonstrandam, Juris principia repetentes, notantur: Jus Divinum aliud dici Positivum, datum scilicet vel in Scriptura sacra, vel in Evangelio; & aliud Naturale, quod est inditum à Deo humanis mentibus ad discernendum bonum à malo c. 1. dist. 1. Molina de Justitia, & Jure tom. 1. tr. 1. dist. 3. Hoc autem Jus Divinum Naturale, sic appellatum à Theologis, idem est, quod Jure consulti vocant Jus gentium Primarium, quatenus innititur non ratione Politica (nam secundarium illud appellant, & ejus effectus sunt bella, captivitates, servitutes, & plerique contractus. §. 2. Instit. de Jure nat. gent. & civili) sed quatenus pollet ratione Naturali, & lumine, à Deo, naturæ Auctore, hominibus impresso, juxta illud Signatum est super nos lumen vultus tui Domine Psalm. 4. 7. & definitur à Justiniano eod. tit. §. 1. esse illud, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & apud omnes per æquæ custoditur, de quo in §. 11. idem Imperator subdit, Sed naturalia quidem jura, quæ apud omnes gentes per æquæ observantur, DIVINA quadam Providentia constituta, semper firma, atque immutabilia permanent. Quo loci Jul. Pacius in Analyti sic doctè explicat; Est autem illud solum jus immutabile, quod Divina Providentia constitutum est, id est jus naturale, & JUS GENTIUM PRIMARIUM. Igitur Jus, quod Theologi appellant Divinum naturale illud est, quod Legistæ vocant simpliciter Naturale, vel Jus gentium Primarium. cap. 1. & cap. Jus naturale dist. 1. Molina d. tract. 2. dist. 6. Ant. Fab. in tit. Instit. de Jure Nat. gent. & civil. in 4. princ. illarum cujus quidem Juris gentium Primarii, id est, Divini Naturalis, præcipuus effectus est Religio erga Deum, & reverentia erga Divini Numinis cultum. l. 2. ff. de Justitia, & Jure; quia semper omnes gentes, & nationes quamvis barbaræ, Divinum Numen coluerunt (sive cultu ei verè debito, sive erroneo, & superstitioso) Cicer. lib. 2. de Nat. Deor. & lib. 1. de Legib.

Porro, quia inter cetera Divini cultus exercitia, Jus confugii ad Loca Sacra, & eorum Immunitas, ab orbe condito usque ad præsens, ubique fuit in usu, ut ex Historiis sacris, & profanis, & antiquorum, ac modernorum scribentium testimoniis constat; sequitur, eandem Immunitatem Jure Divino Naturali introductam esse.

4 Plurima autem DD. Parochi, ac Confessarii protulerunt exempla de thesauris Historiarum nova, & vetera, circa observantiam Immunitatis prædictæ. 1. Apud Hebræos ex Divino Precepto extabant sex civitates refugii pro confugio homicidarum. Num. 25. 6. Jos. 20. 2. Templo quoque, ac Tabernaculo erat Jus Asyli, tam pro personis, sicque Adonias confugit ad Altare, ne jussu Salomonis caperetur. 3. Reg. 1. 50. quam pro Rebus investitis; unde Heliodoro Templum expilare tentanti ait summus Sacerdos 2. Mach. 3. Decipi eos, qui credidissent Loco, & Templo, quod per Universum mundum honoratur, pro sui veneratione, & sanctitate, omnino impossibile esse. 2. Hinc Virgilius Æneid. 2. cecinit, Phœnicem, & Ulysses in templum Junonis reposuisse res pretiosas, collectas in expugnatione Trojæ.

Et jam porticibus vacuis Junonis Asylo
Custodes lecti Phœnix, & dirus Ulysses
Prædam adservabant, huc undique Troja Gazæ.
Et Æneid. 8. Romulum, Urbis Romæ conditorem, Asylum in ea pro facinorosis construxisse:

Huc lucum ingentem, quem Romulus acer,
Asylum retulit &c.

Et Ovid. 4. fastor. ait:

Romulus, ut saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet, huc, inquit, confuge turus eris.

3. Idem Asylum Ninus constituit apud Assyrios; Cadmus apud Thebas; Athenis erat Templum Misericordiæ; Ephefi templum Dianæ pro refugio reorum: & L. Florus lib. 2. cap. 12. loquens de Xerxe Rege ait: Victus fugit in maria, insulanque Samothracem, freris celebri Religione quasi TEMPLA, & ARÆ possent defendere, quem nec suorum mentes, nec arma potuissent. 4. Similia centena exempla, ex Historiis deprompta, in medium affert Decian. tract. crimin. lib. 6. cap. 25. num. 3. 4. & 5. Quibus manifestum fit, quasque gentes Deorum Tempia semper fuisse veneratas, & Locis Sacris Jus Asyli pro reis indulgisse; imò testatur Arist. lib. 9. de Nat. anim. pluribus in locis feras ipsas à canibus securas extitisse, quæ etsi fabulosa videri possint; verissimum tamen est, quod legitur in vita S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, nempe, venaticos canes leporem infestantes, illum sub equo, cui Sancti, Anselmus assidebat, receptum non esse aulos tangere, sed cominus latrantes, Immunitatem sacram veneratos, pium in Religionem obsequium homines docuisse: quod refert. Sperell. decis. 183. num. 12.

Ex his omnibus concludenter firmatur, Immunitatem loci sacri ad Patrimonium Divinitatis pertinere, & introductam esse de Jure Divino; prout testimonium perhibent innumerabiles Theologi, Canonistæ, & Jureconsulti, quos allegat Diana part. 4. tract. 1. resol. 44. num. 2. Quæ in Coordinato nunc est tom. 9. tract. 1. ref. 1. Firmin. de Immunit. cap. 2. num. 9. & 10. Quibus Curia Episcopalis Patavina addit Cartar. dec. 46. n. 34. Guazzin. ad defens. Reor. def. 1. cap. 29. num. 4. Tuscum Liter. l. concl. 59. Riccul. de Personis extra premium Eccl. existent. lib. 2. cap. 12. num. 5. Sperell. decis. 103. & 104. ac Loterium de Benefic. lib. 1. quest. 13. num. 77. & seqq. ubi num. 91. notat, scribentes, eam esse de Jure humano, intelligendos fore, quoad accidentalialia Immunitatis, utpotè criminum qualitatem, limites loci sacri, pœnas in temeratores, modum reos exceptos extrahendi, & familia; non autem quoad substantialia; alioquin eorum opinio esset manifestè erronea.

Neque vim facit objectio Bonacina d. disput. 3. quest. 7. par. 2. n. 2. Quod scilicet, si Immunitas Ecclesiæ esset de Jure Divino Naturali, in nullo casu liceret extrahere delinquentes, etiam permittente Summo Pontifice, cum ipse dispensare nequeat in Jure Divino Naturali, S. Th. in 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3. Sylvest. in Verb. Papa q. 15. & 16.

Nam responderetur, Papam non dispensare in Jure Divino Naturali illud tollendo, vel relaxando: sed propter aliquam circumstantiam declarando, quod in hoc vel illo casu lex Divina Naturalis non obliget, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 54. art. 5. Molina d. tract. 1. disp. 4. Vers. Est tamen notandum. Et novissimè Fagnan. in cap. Cum pridem, num. 80. De Pactis, ubi Theologos, & Canonistas cumulat; quos non ignoravit Bonacina, qui paulò post d. num. 2. Vers. Secundo ut indicarem, quasi rubore suffusus, discedere videtur à prima assertionem, & Immunitatem de Jure Divino naturali constitutur, prout omnino fatendam, & susti-

sustinendam concluderunt ante laudati animarum Pastores hujus amplissimæ Diocesis.

Ad Tertium. *Quæ sint loca gaudentia dicta Immunitate?* scripserunt, esse 1. Ecclesias, etiam polutas, vel interdictas, vel nondum perfecte constructas, aut dirutas, si subit spes reedificationis, etiamsi in eis non servetur Eucharistia. 2. Oratoria Confraternitatum, auctoritate Episcopi erecta. 3. Cæmeteria, quamvis ab Ecclesia separata. 4. Hospitalia publica Episcopali Auctoritate instituta. 5. Monasteria Regularium quoad totam eorum clausuram, nec non eorumdem Grancias, seu hospitia, vel Monasteriorum membra. 6. Domum clericorum in communi viventium, quales sunt Patres Oratorii S. Philippi Neri, & seminaria Episcopalia. 7. Domus Puellarum, & orphanorum Auctoritate Ecclesiastica fundatas. 8. Palatia Episcoporum ubique sita, nec non domus Canonico- rum, ultra 40. passus ab Ecclesia non distantes. Item Palatia Episcoporum Titularium, & domus, in quibus Episcopi morantur tempore Visitationis. 9. Palatia, seu Domus Cardinalium extra Urbem Romæ. 10. Domus Parochorum, quæ sunt de jure Ecclesiarum, quamvis essent locatæ laicis. 11. Omnem locum, in quo præfens sit Sacratissimum Christi Corpus, veluti camera ægroti, cui delata est communio, nec non personam Sacerdotis Sacram Eucharistiam deferentis, si reus ad eum confugiat, imò satis esset, si se immisceret populo, eam associanti; & idem est in Processionibus S. S. Imaginum, vel Reliquiarum. 12. Campanile, et si se junctum ab Ecclesia. 13. Personas Cardinalium transeuntium, si ad eos rei appropinquant. 14. Si iidem adhæreant personis portantibus Aras sacras; de quibus omnibus testantur Doctores, quos allegat, & sequitur Diana Coordin. d. tom. 9. tract. 1. à resol. 7. & seqq. usque ad 22. Coronius Summator ejusdem Verb. Immunitas Ecclesiarum quoad loca à num. 2. & seqq. Chartar. d. decis. 46. num. 20. Farinac. de Immunitat. cap. 17. & latissimè Jordan. Episcopus Tragurien. d. tom. 2. lib. 11. tit. 3. à num. 182. usque ad num. 213. apud quem Theologi, & Canonistæ sunt allegati; necnon mea Erotemata cap. 32.

Ad Quartum. *Quanam sint delicta, quibus non prodest Immunitas loci sacri?* Responderunt, ea nosci ex Bulla Gregoriana, quæ excipit reos indignos immunitate his Verbis. 1. Publici latrones. 2. Viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur. 3. Aut depopulatores agrorum. 4. Quivè homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve cæmeteriis, committere non verentur. 5. Aut qui proditoriè proximum suum occiderint. 6. Aut Assassini. 7. Vel hæresis. 8. Aut læsa Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei. Ideoque octo sunt delicta, quibus Immunitas Ecclesiastica non suffragatur.

Ad Quintum. *Quanam sint pœna inflicta contra violantes Immunitatem loci sacri?* Plures fuerunt relatæ pœnæ contra violantes prædictos. Prima est peccati mortalis, & quidem Sacrilegii. Jordan. d. l. 12. tit. 3. num. 273. Secunda est Restitutio omnium damnorum, & interessis ei, qui fuit extractus, nam cum id factum fuerit injustè, oritur obligatio restitutionis. Farin. de Immun. num. 321. Tertia est (omissis aliis, quæ non sunt in usu) excommunicatio latæ sententiæ, reservata Papæ. Farin. ibid. num. 315. Barbosa. allegat. 50. num. 167. Theaur. de Penis Eccles. part. 2. Verb. Immunitatem cap. 1. Vers. Hæc autem excommunicatio, Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Dian. p. 6. tract. 1. resol. 34. Quæ in Coordinato est tom. 9. tract. 1. resol. 2. ubi num. 15. & 16. se justificat, profitendo, sic tenere. Et hac Censura afficiuntur non solum extrahentes reos in casibus non exceptis, & debita licentia Episcopi non expectata, sed extrahere tentantes, etiam effectu non subsecuto. Theaur. ubi supra Vers. Proccedit. Et ligat etiam Episcopos dantes licentiam extrahendi in casibus non permisis à Bulla, adeo ut fiant irregulares, non obstante eorum protestatione, si Rei corporali pœna puniantur. Antonell. de Loco legali lib. 1. cap. 3. num. 209. Abb. Mich. Justinian. in addit. ad Comment. Novarii pag. 10 Theaur. d. c. 1. num. 1. & 2. Exempla autem plurima Justitiæ Divinæ, quæ severissimè semper animadvertit in eos, qui, Tempia sacra parvipendentes, reos ex eis extrahere præsumpserunt, leguntur apud Jo. Franc. Leonem in Theaur. fori Eccles. part. 1. cap. 14. num. 35. 36. 37. 38. 39. Et ex eis clarè deducitur, in hac materia non ad reorum indignitatem, sed ad Divinæ Majestatis excellentiam, quæ in locis sacris timeri, & venerari vult, esse oculos dirigendos, ne Immunitas Ecclesiarum violetur.

AD PRIMUM CASUM.

Franciscus existens in Ecclesia occidit hominem existentem extra Ecclesiam. Antonius verò stans extra Ecclesiam occidit Petrum stantem in Ecclesia. Quæritur, an Franciscus, & Antonius gaudere debeant Ecclesiæ Immunitate?

Quoad Antonium; omnes concorditer dixerunt, non posse gaudere Ecclesiæ Immunitate. Ratio est, quia revera homicidium est commissum in Ecclesia, quamvis principium sumpserit extra illam; locusque Sacer pollutus remanet, & affectus gravissima injuria. Et sic tenet Bonacina tom. 2. Circa Primum Dec. præc. disput. 3. quæst. 7. punct. 6. §. 2. num. 2. ubi DD. & Farinacius de Immunitate num. 225.

Quo verò ad Franciscum retulerunt Doctores contrariis opinionibus altercantes; sed ferè omnes adhæserunt concedentibus eidem Immunitatem; ea ratione, quia homicidium revera commissum est extra Ecclesiam, cui minor injuria censetur irrogata; quia neque polluta remanet; & cum versemur in materia pœnali & contraria Immunitati Ecclesiæ, Bulla, quæ loquitur de homicidio factò in Ecclesia, non est extendenda ad factum extra, licet inchoatum in Ecclesia. Itatenet Bonac. ubi supra n. 3. Novar. p. 1. Comment. 72. n. 51. & Jordan. d. lib. 11. tit. 3. n. 328.

AD SECUNDUM CASUM.

Joannes ex calore iracundiæ, & ex subita ira occidit hominem in Ecclesia. Quæritur, an gaudeat Immunitate, ita ut non possit capi in loco Sacro?

Absque hesitatione fuit responsum, gaudere Immunitate. Ratio est manifesta; quia, ut homicidium privet Immunitate, debet esse dolum, & deliberatum. Gutierrez. præc. quæst. lib. 3. q. 1. à num. 6. usque ad num. 13. Sed tale non est homicidium commissum ex calore iracundiæ, & ex subita ira. Ergo non privat Immunitatem loci sacri. Farinac. de Immunit. num. 40. Jacob. Pignatell. tom. 2. consult. 38. à num. 3. & seqq. & Novar. part. 2. Commentar. 80. num. 40. Ubi in factò sic judicatum fuisse testantur.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Referantur media ad servandam Temperantiam ab Ecclesiasticis in cibo, ac potu, præcipue in eorum Congregationibus.

Hæc fuerunt relatæ. 1. Ex Temperantia pro-

cedere vitam longam, ex Gula vitam brevem, juxta illud. *Eccles. 37. In multis escis erit infirmitas: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Hinc tot Sancti, qui solo pane, & aqua, vel modicis herbis aut fructibus vescabantur, vixerunt vel supra, vel propè centum annos, ut de SS. Paulo, Antonio, Pafnutio, Hilarione, Macario, Arsenio, Simeone Stylita, Romualdo, Francisco de Paula, ac aliis unicuique est notum. Et hic loci, nonnulli suggererunt, ut legeretur tractatus Vitæ sobriæ Nobilis Viri Alesij Corneli. 2. Optimum esse decernere, ne in mensa apponantur cibi superflui. 3. Habeatur lectio in mensa, ut ex ejus attentione reprimantur cupiditates cibi, & potus. 4. Quilibet prudenter ante mensam decernat quantitatem cibi, & potus sibi necessariam & stabilis sit in proposito non excedendi illam. 5. Sciant turpitudinem gulæ, quam ipsi Ethnici damnarunt, ut in Seneca. *lib. 8. c. 61.* 6. Reflexendum ad pessimas gulæ filias, ejus scilicet perniciosos effectus, quos enumerat *Card. Tolet. in Summa. De septem Peccatis mortalib. cap. 62.* 7. Quod gulosi assimilantur suibus, & canibus voracitatem. 8. Quod vitium gulæ judicio Ecclesiæ peculiariter impugnatur excellentiam naturæ humanæ, ideò in Oratione feria 5. hebdom. *Pasq.* dicitur, *ut dignitas conditionis humana per immoderantiam sauciata.* 9. Gulam impedire usum Orationis, & elevationem mentis in Deum, ac privare celestibus illustrationibus, ac consolationibus. 10. Hoc vitium acriter puniri à Deo tum in præsentis vita, ut de Israelitis in deserto, tum in futura, ut de Epulone in Inferno. 11. Temperantiam elargiri bona temporalia, ac cœlestia juxta illud: *Qui corporali jejuniò, vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia.* 12. Meditatione recolendum Salvatoris nostri JESU CHRISTI exemplum, qui pane hordeaceo, & aqua vescabatur, & in Cruce felle, & aceto, potatus fuit. 13. Alta mente tenendum Ecclesiasticis, quod si omnibus fidelibus dictum est: *Sobrii estote, & vigilate* 1. *Perr. 5.* eò magis ad ipsos hoc dictum pertinere, quibus commendata est cura animarum. 14. Legendi tandem Auctores de virtute Temperantiæ tractantes, inter quos P. Georgius Gobat Soc. Jesu in suo *Quinario tr. 5. P. Ludov. de Ponte p. 1. medit. 19.* Et Cardinalis Pallavicinus in libro, cui titulus: *Arte della Perfezione Christiana, in quo lib. 2. cap. 4. 5. 6. & 7. tract. de Vitio Gulæ, & remediis ipsius.*

DECISIO XIV.

A R G U M E N T U M.

Declaratur quid sit Homicidium proditorium? Quid sit, Assassinium? Quale crimen læsæ Majestatis non gaudens Immunitate loci Sacri? Qui sint latrones publici? & qui grassatores viarum? Casus duo de homicidio proditorio. Tandem quibus industriis sit retrahenda plebs ab ebrietate.

S U M M A R I U M.

1. Homicidium proditorium quale sit?
2. Proditores qui, & quot dici possint?
3. Proditorium quando non sit homicidium?
4. Assassinium quid, & quale sit?
5. Assassini qui, & quo priventur jure Asyli?
6. Majestatis læsæ crimen quale sit exceptum ab Immunitate loci Sacri?
7. Principis appellatione qui sint intelligendi? præcipue in Republica Veneta?
8. Latrones publici qui, & quales dicantur?
9. Grassatores viarum, qui sint?
10. Occidens inimicum Apostatam, an gaudeat Asyli jure?
11. Mandans, & Cooperans ad assassinium an priventur Asilo?

12. Sanctificatio dierum festorum quibus mediis sit plebi suadenda?

13. Tabernarum fuga quibus rationibus suadenda plebi?

14. Lufiores quibus morivis à ludis sint retrahendi?

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

A D P R I M U M. Quid sit Homicidium Proditorium? Tunc esse, quando quis simulata amicitia aliquem occidit. *Dianap. 1. tract. 1. resol. 5.* Quæ in Coordinato est *tom. 9. tract. 1. resol. 81.* Vel, cum quis, nulla præcedente inimicitia, vel offensa, interficit alium, nihil tale cogitantem, suspicantem, vel prævidentem. *Farin. de Carcerib. q. 28. à n. 74. & de Immunit. n. 138. ubi DD.*

Ex quibus deduxerunt sequentes illationes: 1. Parricidas esse homicidas proditores. 2. Matres quoque, procurantes abortum foetus animati, vel infantem natum occidentes. 3. Testes etiam, & Judices, qui suo dolo sunt in causa, ut innocens damnetur ad mortem. 4. Eum pariter, qui sub prætextu amicitiae, propinato veneno, alium interemit: hi enim omnes dicuntur Proditores, eò quia interfecti non poterant ab eis præcavere, & ideò non gaudent Immunitate. *Farin. de Immunit. n. 138. & seqq. Jordan. d. lib. 11. tit. 3. à num. 343. Mea Erotemata cap. 32. num. 28.*

E contra notatur, non esse Proditorium homicidium. 1. Si occidatur inimicus per insidias, vel à tergo, ut dicitur *Apostatam*: quia inimicus poterat, & debebat præcavere. *Ceyall. com. contra com. quæst. 684.* 2. Neque si occidatur amicus, cum quo insurrexerat Zelotypia, vulgò Gelosia, & præcesserant altercationes, & minæ. *Jul. Car in s. Homicidium. n. 8. Navar. d. p. 1. Comm. 72. n. 79. in fin.* 3. Neque si occidat ut inimicus reconciliatus de recenti, secus si ex multo tempore. *Novar. d. Comment. 72. n. 78.* ubi idem asserit, si facta reconciliatione, remota non fuerit causa odii. 4. Neque si maritus occidat adulteram uxorem, et si non repertam in fraganti; quia cum virum suum offenderit adulterando, ideò debet præcavere. *Novar. ubi supra num. 81.* Et in his casibus conceditur Jus asyli, & Immunitas loci Sacri.

Quoad secundum: Quid sit Assassinium? Concorde dixerunt: Esse occisionem hominis nihil tale suspicantis, vel præcaventis, factam ab aliquo ob pecuniam, vel pretium datum, vel promissum. *Menoch. de arbit. Judic. casu 360. n. 42. Farinac. de Homicid. quæst. 123. n. 21. & seqq. Et de Immunit. n. 129.* Et hic pariter ferè omnes notarunt. 1. Assassinium vulnera infligentem, sed non occidentem, gaudere Immunitate; quia Assassinus verè, & propriè, est qui mandatum accipit ad occidendum. *c. pro humani. De homicid. in 6. Bonac. d. disp. 3. quæst. 7. punct. 6. §. 5. n. 7. Farinac. de Immunit. n. 123.* 2. At privari Immunitate non solum Assassinum mandatarium, sed etiam mandantem, fautores, auxiliatores, & receptatores. *Bonac. d. n. 7. & Farinac. n. 124.* 3. Et licet controvertant DD. an Assassinus occidens infidelem, privandus sit Immunitate? Clerus Patavinus adhæsit affirmantibus, quia Bulla Gregoriana privat eos, qui proditorie occidunt proximum suum & appellationi Proximi comprehenduntur omnes homines, et si diversæ Religionis. *Diana part. 4. tract. 1. resol. 105.* Quæ in Coordinato est *tom. 9. tract. 1. resol. 84.* Bonacin. ubi ante n. 9. 4. Dixerunt non esse Assassinum, qui occidit absque præcedenti pactio-
ne mercedis, vel ut rem gratam faciat. *Jordan. dict. lib. 11. tit. 3. num. 364. 365. Qui num. 369. ait: Cessare qualitatem Assassinii, si sit præ-*
fens